

§ X.

DE OBLIGATIONE LEGUM POENALIUM.

221. *Quando lex continet pœnam ferendæ sententiæ, non tenetur ad eam reus ante sententiam iudicio.* — Quæritur I. Qua ratione obligent leges, seu constitutiones pœnam ferendæ sententiæ continentes? Resp. I. Quando lex, sive constitutio ecclesiastica, continet pœnam ferendæ dumtaxat sententiæ, sive primum a iudice infligendam, non tenetur reus ad eam subeundam, vel solvendam, donec per sententiam iudicis ad ipsam fuerit condemnatus. Ita Glossa can. *Fraternitas*, 12. q. 2. divus Thomas, 2. 2. q. 62. art. 3. et communis aliorum. Ratio est clara: quia reus ad amplius non tenetur, quam lex ipsi imponit: hæc autem solum imponit, ut reus pœnæ adjudicetur, atque ad eam per sententiam iudicalem condemnatur, quod spectat potius ad iudicem, quam ad ipsummet reum.

222. *Corollarium de excommunicandis, privandis beneficiis, etc.* — Inferitur proinde, quando reus, v. g. clericus, propter crimen commissum per legem, seu constitutionem ecclesiasticam, excommunicandus: vel officio, aut beneficio privandus decernitur (quæ formula continet dumtaxat pœnam ferendæ sententiæ) quod is ante latam a iudice sententiam possit valide, et licite sese gerere tanquam non excommunicatum, et non privatum, sicque exercere omnes actus sui officii, aut beneficii, quia ipse revera ante latam iudicis sententiam necdum incurrit ejusmodi pœnam, quamvis commiserit crimen, ob quod excommunicandus, vel officio, aut beneficio privandus est per iudicem.

223. *Ejusmodi lex pœnalis obligat post sententiam iudicis, et ad quid?* — Resp. II. Lex pœnalis post sententiam iudicis legitime latam obligat ad non resistendum, et pœnam lege taxatam subeundam. Ita divus Thomas, 2. 2. q. 62. art. 4. et communis. Nam, imprimis hoc ipsum convincit ratio legis, utpote per legitimam auctoritatem communitati denuntiata, cum voluntate eam perpetuo obligandi. Deinde id ipsum confirmat illud divi Apostoli, *Rom.*, XIII, 2. *Qui resistit potestati, Dei ordinationem acquirunt.* Atqui hoc faceret reus, juste ac secundum leges damnatus, et tamen iudiciali sententiæ resistens; ergo.

224. *Reus captus post latam sententiam*

mortis potest adhuc fugere et cur? — Dices: Potest reus captus etiam post latam sententiam mortis, aut mutilationis, vel treremium, ad declinandum hujusmodi gravissimum malum, licite fugere, juxta Doctorem angelicum, loc. cit. ad 2. et alios: ergo allata conclusio non subsistit. Resp. neg. conseq. Sensus enim conclusionis est, quod reus post latam sententiam resistere non debeat, justitiæ ministris vim aut injuriam inferendo, ne alioquin legitimæ potestati, Deique ordinationi resistere convincatur: ac proin, quod reus parere debeat pœnam sustinendo, in quantum justum est eum pati, ac sententia ipsum afficit. Quia igitur sententia judicialis non afficit reum, ut ipse sibi mortem inferat, aut faciat id, unde mors sequatur, manendo scilicet in loco, unde ducatur ad mortem: hinc ad istud reus non obligatur, sicque licite potest fugere, dum commode potest, nisi forsitan promisisset, aut jurasset, se permanensurum.

225. *An in hunc finem licite possit vincula, et carceres perfringere?* — Et ob eandem rationem non pauci doctores, ut Navarrus, cap. XVII. *Manual.* n. 102; Layman, lib. I. tract. IV, c. xv, n. 10; Cajetanus, Lessius, et alii ulterius docent reum mortis, mutilationis, vel etiam treremium, non solum licite fugere, sed etiam in hunc finem vincula, et carceres perfringere posse. Nec obstat textus in L. 1. ff. *de Effractorib.* ubi dicitur, « de iis, qui carcere effracto evaserunt, sumendum esse supplicium. » Resp. enim, licet non improbabilis sit contraria sententia, quam idcirco sequitur Covarruvias, lib. I. *Var. resolut.*, cap. xiv, num. 14; Major in 4, dist. 15, q. 22. et quidam alii: commode tamen dici posse, quod istud, cum reipublicæ intersit, ita jure statutum fuerit, ut publica custodia magis conservetur illæsa; adeoque hæc sit lex mere pœnalis. Quanquam etiam fuga rei, et carceris effractio, gravem præsumptionem admitti criminis, ac veluti confessionem ipsius generet, ob quam reus fugitivus, ac effractor jure puniri possit pœna tali crimini correspondente, licet de hoc plene non fuerit convictus, arg. 1. *In eos*, juncta Glossa, et Bartolo, ibid. ff. *de Custodia et exhibit. reor.*

226. *Leges pœnam latæ sententiæ continentes, quomodo obligent? Pœna ipso jure imposita, si aliam executionem externam non requirat commisso crimine statim habet locum in conscientia.* — Quæritur II. Quomodo obligent lege pœ-

nam latæ sententiæ continentes? Resp. I. Si pœna ipso jure imposita aliam executionem externam non requirat, statim ut factum illud, cui talis pœna ipso jure annexa est, committitur, habet ipsa locum in conscientia. Ita Suarez, lib. V, *de Legib.*, cap. v; Sanchez lib. IX, *de Matrim.*, disp. 27, nu. 2, et disp. 30, num. 2; Ludov. Engel h. t. n. 43; Castro Palao, part. I, tract. III, disp. 2, punct. 2, n. 1. et alii. Et tales sunt pœna excommunicationis latæ sententiæ (nam excommunicatio secum trahit executionem, c. *Pastoralis*, 53. *de Appellat.*) et aliæ censuræ ecclesiasticæ, item irregularitates, impedimenta matrimonii et hujusmodi: nam tales pœnas, si sint latæ sententiæ, ipso facto, et ante omnem sententiam iudicis incurri, recepta praxis, et usus declaravit. Accedit ratio, quia conveniens erat, ut Ecclesia pro spirituali fidelium emolumento, uteretur non solum pœnis in foro externo infligendis: sed etiam pœnis illico incurrendis ob peccata quantumcumque occulta, ut hac ratione subditi amplius a peccatis retraherentur. Idem probatur inductione. Sic enim can. *Si quis suddente*, 17. q. 4. excommunicatio lata in percussores clericorum, ipso facto incurritur. Idque accidit quoque in aliis censuris ecclesiasticis ipso jure latis, c. *Cum desideres*, 15. *de Sentent. excommunicat.* et c. *Illud Dominus*, et seqq. *de Clerico excommunicat. minist.* et alibi. Idemque patet in irregularitate; ut cap. ult. *de Temporib. ordinat.*, et c. *Presbyterum*, ac seqq. *de Homicid.* Hoc ipsum constat de impedimentis matrimonii: sic enim affinitas consurgit ex copula illicita, quantumcumque hæc sit occulta: idem dicendum de impedimento criminis, et aliis hujusmodi.

227. *Secus est in pœnis externam executionem requirentibus, non in his ulterius opus est sententia declaratoria iudicis.* — Resp. II. Si pœnæ ipso jure illatæ etiam externam executionem requirant (veluti est amissio domini, confiscatio bonorum, privatio beneficii, aut officii ecclesiastici, aut privatio alterius rei propriæ, et jam acquisitæ) tunc ulterius ad obligationem in conscientia producendam requiritur sententia declaratoria iudicis super crimine admissio; nisi lex in specie addat clausulam, « alia etiam declaratione non secuta. » Ita Navarrus, tom. II. *Comment. de Datis et promissis*, notab. 31, numer. 44; Sanchez, lib. II. *in Decalog.*, cap. xxvi, n. 7; Menochius, *de Arbitrar. judic.* casu 416, n. 62; Sylvester, vers. *Hæresis*. I. n. 13 Engel;

h. t. n. 43; Layman, lib. I. tract. IV c. 15. nu. 6. et alii ipsis citati; ac sequitur Farinacius part. II. *Fragment. vers. Lex.* num. 458, appellans hanc magis communem doctorum sententiam, licet Bartolus, Jason, et quidam alii oppositum teneant. Prima pars conclusionis desumitur ex c. *Cum secundum* 19, *de Hæretic.* in 6. ubi bona hæreticorum ipso jure confiscantur, et tamen ipsi non illico in conscientia obligantur bona sua tradere fisco: quin etiam dictæ confiscationis executio, seu bonorum occupatio, expresse prohibetur fieri ante sententiam declaratoriam iudicis ecclesiastici super crimine hæresis admissio: ergo idem dicendum de aliis similibus pœnis, externam executionem requirentibus, aut inducentibus privationem rei jam acquisitæ; cum de similibus idem iudicium sit habendum, c. *Inter corporalia*, *de Translat. episc.*

228. *Afferitur ulterior hujus ratio.* — Accedit ratio, quia lex debet esse possibilis moraliter observatu, « ac secundum naturam, » id est, naturæ humanæ accommodata, can. 2, dist. 4. Atqui talis non foret lex illa pœnalis, quæ transgressorem ipso facto privaret re sua jam obtenta, sicque requireret externam executionem, ac simul ad talem pœnam in se exequentiam illico obligaret in conscientia ante omnem sententiam iudicis etiam declaratoriam. Hac enim ratione delinquens teneretur sui ipsius esse accusator, iudex, reus, et executor: quin etiam teneretur semetipsum spoliare rebus suis antehac legitime acquisitis; quod partim naturæ humanæ admodum grave foret, ac insolitum, partim non careret periculo propriæ diffamationis. Ad ipsum confirmat communis usus, et sensus hominum, quo habetur, non teneri reum bonis suis jam acquisitis sese spoliare, ac pœnam privationis bonorum suorum, licet ipso jure impositam, statim exequi ante omnem sententiam iudicis.

229. *Dummodo pœna non sit imposita sub clausula:* Alia etiam declaratione non secuta. — Altera pars datæ conclusionis exemplificatur imprimis per concilium Trident. sess. 23, cap. 1. *de Reformat.* ubi decernitur, episcopum, aliosque clericos curatos, legitimo tempore non residentes, « pro rata temporis absentia fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, retinere posse. » Hæc ibi. Aliud exemplum habetur in Extravag. *Ambitiose*: « De rebus Ecclesiæ non alienand. » ubi prælati

inferiores male alienantes bona ecclesiastica, suis dignitatibus, et beneficiis, « quorum res et bona alienarunt dumtaxat, ipso facto privati existant, illaque absque declaratione aliqua vacare censeantur. » Id ipsum reperitur in bulla 97 Pauli V quæ incipit *Regis pacifici* (et habetur tom. III *Bullarii Romani*), ubi pontifex innovavit constitutiones Sixti IV. et Pii V, de Conceptione beatæ Mariæ Virginis editas, et quidem sub certis pœnis « ipso facto incurrendis, absque alia declaratione. » Nam hujusmodi clausulæ debent aliquid operari, ne sint superflue. Verum majoris claritatis gratia,

230. *Notabilis differentia inter pœnas late, et ferendæ sententiæ.* — Objicies contra primam partem conclusionis. Si pœnæ ipso jure impositæ, sed externam executionem requirentes, non obligant in conscientia ante sententiam judicis; ergo nulla erit differentia inter has pœnas late sententiæ, et inter alias pœnas ferendæ sententiæ. Consequens est absurdum; ergo. Prob. seq. maj. Quia utrobique ad inducendam obligationem æque requiretur sententia judicis. Resp. neg. sequel. maj. cum sua probatione: nam ad incurrendam pœnam ferendæ sententiæ requiritur sententia condemnatoria judicis, ac debetur solum a tempore late hujus sententiæ: ut autem debeantur seu obligent pœnæ ipso jure impositæ, quantumvis externam executionem requirentes, sufficit sententia declaratoria judicis super admissio crimine, quæ per quamdam juris fictionem retrotrahitur ad tempus perpetrati sceleris, cui pœna ipso jure imposita est, sicque facta per judicem executione debetur pœna illa jam a die commissi criminis. Sanchez, lib. II. in *Decalog.*, cap. xxii, num. 33 et cap. xxvi, num. 7, Pirhing, tit. de *Hæretic.* n. 60; Sylvester, vers. *Hæresis.* I. n. 13. et 14; Engel h. t. n. 43 et alii.

231. *Et inter sententiam condemnatoriam, et declaratoriam judicis.* — Siquidem inter sententiam condemnatoriam, et declaratoriam judicis, hæc est notabilis differentia quod illa cadat super ipsam pœnam, et hanc juxta præscriptum legis imponat, seu ad istam reum condemnet; unde non mirum, quod talis pœna primum incurrat, ac debeatur a die late hujusmodi sententiæ condemnatoriæ. At vero sententia declaratoria non cadit super ipsammet pœnam, sed solum super crimen admissum, declarando quod quis revera commiserit tale crimen, ac reus ipsius

existat: quo facto subintrat pœna ipso jure imposita, et per dictam judicialem declarationem admissi criminis constat hanc pœnam ipso facto dudum fuisse contractam. Unde non mirandum, quod sententia declaratoria censeatur retrotrahi, ita ut pœna ipso jure imposita debeatur a die commissi criminis, et bona, v. g. hæretici declarati, censeantur ipso jure confiscata, seu fisco obligata, jam a tempore commissæ hæresis: adeo quidem, ut fructus interea percepti debeant restitui fisco, nec valeant alienationes interim circa bona illa ipso jure confiscata factæ, sed sint penitus rescindendæ, veluti factæ a non habente amplius potestatem alienandi. Et patet hoc ex L. ult. C. *Ad legem Juliam majestatis*, ubi damnatus super crimine læsæ majestatis, etiam post mortem, jam a criminis exordio perdit ipso facto omnium rerum suarum administrationem: adeo, « ut ejus bona successoribus eripiantur; et ex quo quis tale crimen contraxit, neque alienare, neque manumittere possit. » Idem ergo a pari dicendum de crimine hæresis, et si quod aliud est, ratione cujus bona ipso jure confiscantur, vel alia pœna externam executionem requirens imponitur.

232. *Quid operetur jus, bona conscientia retinendi pœnam usque ad sententiam judicis?* — Nec dicas: Si post latam sententiam declaratoriam super crimine admissio, non solum debetur pœna, v. g. confiscatio honorum, amissio beneficii, etc., ipso jure imposita, sed etiam omnes fructus a die commissi criminis, retro percepti restitui debent, simulque rescinduntur omnes alienationes interim circa ipsos factæ; ergo prorsus erit frustraneum illud jus bona conscientia retinendi pœnam. Resp. enim neg. seq. Quia imprimis jus illud, seu facultas in conscientia remanens, hoc operatur, ut si nunquam sequatur sententia declaratoria judicis, nunquam reus talis criminis teneatur pœnam illam subire, sponte v. g. dimittendo beneficium ecclesiasticum, ejusque fructus restituendo, aut bona ipso jure confiscata ad fisco deferendo: ad hoc enim nemo tenetur in conscientia ante secutam sententiam declaratoriam.

233. *Quid operetur jus, bona conscientia retinendi pœnam usque ad sententiam judicis?* — Deinde jus illud hoc operatur, quod etiam secuta sententia declaratoria super crimine admissio, non teneatur criminis illico bona sua deserere, eaque v. g. offerre fisco: nam ulterius requiritur, ut sententia illa auctori-

tate judicis mandetur executioni, ac ipsi reo adimatur possessio illorum bonorum, quibus ob crimen ipso jure privatus extitit, hæcque ab ipso exigantur, et v. g. fisco applicentur. Et merito hoc dicitur: tum quia durissimum, et naturæ humanæ valde contrarium foret, quod quis nomine exigente cogere pœnam tam gravem in semetipso exequi. Sanchez, lib. II. in *Decalog.*, cap. xxii, num. 8; Covarruvias, part. II. de *Matrim.* cap. vi. §. 8. num. 10. et alii plures ab ipsis citati; tum quia talem executionem ulterius requiri, satis indicatur cit. c. *Cum secundum.* 19. de *Hæretic.* in 6, ibi: « Confiscationis tamen hujusmodi executio, » etc. Tandem, quando etiam sequitur tum sententia declaratoria, tum illius executio: adhuc jus illud retinendi in conscientia pœnam hoc operatur, quod res, et fructus earum, ipso jure ob crimen amissi, amplius tamen non extantes, sed interim bona fide consumpti, non debeant amplius restitui, nec eorum pretium refundi, si exinde possessor tempore declarationis non sit factus locupletior. Engel h. t. num. 43.

234. *Lex ipso facto imponens privationem beneficii, privat reum titulo, non possessione ejus.* — Objicies ulterius. Quando lex ipso facto imponit privationem, v. g. beneficii, ante sententiam judicis, jam habet suum effectum (alioquin enim gratis, et frustra imponeretur alia pœna per legem, et alia per judicem). Atqui si lex ante judicis sententiam jam habet suum effectum, non est opus alia judicis sententia, cum privatio beneficii, et ipsum beneficium nequeant simul stare, quia privative opponuntur; ergo. Resp. cum Lessio, lib. II. de *Just. et jur.*, cap. xxix, n. 64, quod leges, quibus additur, « ipso facto sit privatus officio, vel beneficio, » privent titulo, seu jure ad beneficium, non autem ejus possessione. Hinc disting. maj. Lex illa habet suum effectum privando reum titulo beneficii, quatenus ipso facto amittit jus ad beneficium, conced. Privando etiam ejus possessione, neg. maj. et sic distinct. min. neg. conseq. Exemplum hujus aptissimum ad propositum habetur in c. *Licet episcopus*, 28. de *Præbend.*, in 6. ubi beneficium ipso jure vacans libere confertur ab episcopo, et tamen non potest episcopus eum, cui beneficium tale contulit, in ejus possessionem inducere, nisi possessore prius vocato.

235. *Clerici beneficiarii, omittentes recitationem Horarum, tenentur restituere fructus bene-*

ficii ante sententiam declarativam judicis, et cur? — Objicies tertio. Clerici beneficiarii omittentes Horas canonicas, post primos sex menses, tenentur pro rata ad restitutionem fructuum beneficialium in conscientia ante aliam sententiam declaratoriam judicis: atqui in legibus, hanc pœnam imponentibus, non habetur clausula illa, « Alia etiam declaratione non secuta; » simulque hic intervenit externa executio; ergo. Major est certa, adeo ut oppositum reproberit Alexander VII, anno 1665, inter alias propositiones etiam sequentem, ordine vigesimam, damnando: « Restitutio a Pio V imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, eo quod sit pœna. » Minor patet ex bulla Leonis X, *Supernæ dispositionis* (et refertur tom. I *Bullarii Romani*, constit. 7 ipsius) ac etiam ex alia bulla B. Pii V. *Ex proximo* (et habetur tom. II. dicti *Bullarii*, constit. 135 ipsius), in quibus injungitur præfata obligatio restituendi fructus absque ulla addita tali clausula. Resp. conclusionem nostram loqui de pœna externam executionem requirente, adeoque de pœna proprie dicta, id est tali, qua quis privatur re, quæ omnino et absolute erat sua, et jam quæsita, seu obtenta, ut fit in allatis, num. 227. exemplis: non vero de pœna improprie dicta, id est, tali, quæ acquisitionem alicujus rei impedit.

236. *Non est par ratio, lucra non facere, et quæsita perdere.* — Et ratio hujus distinctionis est: quia non est par ratio, lucra non capere, et quæsita perdere. L. ult. C. de *Codicill.* et l. *Si Sponsus.* § *Si maritus.* ff. de *Donation. inter vir. et uxor.* Si autem deberetur pœna proprie dicta ante sententiam declaratoriam, cogere quis perdere quæsita; in altero autem casu solum quis lucra non caperet, quod multo facilius contingere solet. Et hoc posterius fit in proposito: nam, ut citati pontifices loquuntur, clerici beneficiarii pro rata omissionis Horarum canonicarum « fructus non faciunt suos: » ac proinde incurrunt pœnam privationis fructuum beneficialium solum improprie dictam, seu quatenus horum lucra capere non possunt. Unde eo ferme modo, quo legatarius privatur legato sibi sub certa conditione relicto, si hanc adimplere negligat: ita et clerici non recitantes privantur, ac tenentur restituere fructus beneficiales, utpote quos non faciunt suos, nisi sub conditione recitarum Horarum canonicarum.

237. *Clausula illa*, alia etiam declaratione non secuta, *impugnatur, et raro locum habet.*— Objicies contra alteram partem conclusionis. In concilio Tridentino, sess. 23, cap. 1. *de Reform.* pariter est sermo de pœna solum improprie dicta, seu tali, quæ impedit lucrum, sive acquisitionem fructuum beneficialium, prout liquet ex verbis, num. 229, relatis: ergo inde nihil probatur pro altera parte conclusionis. Resp. Quidquid sit de antecedenti, nego consequent. Nam textus ille recte adducitur, exempli gratia, ad indicandum, quod idem sit dicendum in aliis casibus, ubi lex pœnalis imponit pœnam illico incurrendam, « alia etiam declaratione non secuta; » prout hoc ipsum amplius probat cit. Extravag. *Ambitiosæ*.

238. *Extravag. Ambitiosæ, non ubique usu recepta est.*— Quia tamen dicta Extravag. *Ambitiosæ* in pluribus locis non est usu recepta quoad totum suum rigorem; pœnasque, et censuras suspensionis, atque privationis, ut notant Navarrus, c. p. 27. *Manual.* n. 149; Covarruvias, lib. II. *Var. resolut.*, cap. xvi, n. 6; Lessius, lib. II, cap. xxiv, n. 64; Herincx, disp. 5. *de Legib.* q. 2, n. 14; Pirhing, tit. *de Rebus ecclæs. non alien.* et alii. Atque etiam, ubi ipsa quoad pœnam privationis fuit usu recepta, prius debet vocari, et audiri prior possessor, antequam alius in possessionem beneficii sic vacantis, sibi que collati inducatur, c. *Licet episcopus* 28, *de Præbend.* in 6. Hinc patet paucas admodum, et vix aliquas dari leges pœnales, quæ requirunt executionem externam, seu privant ipso jure criminis bonis suis jam quæsitis, ac obtentis; et nihilominus in conscientia obligant ad subeundam ejusmodi pœnam ante omnem sententiam judicis, etiam declaratoriam. Revera enim tales leges non adeo sunt secundum naturam hominum, neque horum genio accommodatæ; quamvis rebus sic exigentibus a legislatore ferri possint.

§ XI.

DE LEGE IRRITANTE, EJUSQUE OBLIGATIONE, AC EFFECTU.

239. *Possunt lege condita irritari quidam contractus, alique actus, ut nullius sint roboris.*— Quæritur I. An, et quibus modis per leges, sive constitutiones, possint irritari contractus, electiones, alique actus? Resp. I. Certum est, quod legislator lege a se condi-

ta, pro bono communitatis, possit quosdam contractus, aliosque actus humanos ita irritare, ut nullius sint roboris ac momenti. Patet hoc imprimis ex utroque jure, hujusmodi leges, sive constitutiones quamplures continente; ut c. *Quia propter* 42. § *Aliter. de Election.* et c. *Non debet.* 8. *de Consanguinit. et affinit.* et l. *Non dubium.* C. *de Legib.* cum plurimis similibus. Accedit ratio, quia hæc potestas æque necessaria est in legislatoribus ad bonum gubernium reipublicæ, sicut potestas quidpiam prohibendi, subditosque obligandi: ut sic impiis malitiosorum machinationibus eo potentius obviari, cassatisque ipsorum perniciosis actibus proborum indemnitas, et tranquillitas reipublicæ status conservari valeat. Unde sapiens legislator, « non ad instar imperiti medici, uno collyrio, » sive obligando tantum, « omnium oculos vult curare, » can. *Necesse est*, dist. 29, « Sed quia novis morbis nova convenit antidota præparari, » c. *Cæterum de juram. caelum*, nonnunquam suadente sic bono communi, conatus et actus improborum irritare, et cassare satagit.

240. *Lex dupliciter potest irritare contractum, nimirum vel ipso jure.*— Resp. II. Generatim loquendo, dupliciter potest irritare contractum, aliumve actum, videlicet vel ipso jure, vel per sententiam judicis. Ita communis. Et quidem ipso jure censetur irritare contractum, aliumve actum, quando lex per seipsam, et non expectata sententia judicis, ipsum irritat, cassat, et annullat: uti accidit in impedimentis jure ecclesiastico dirimentibus matrimonium, et nonnullis aliis, de quibus suo loco. Et actus ille, qui per ipsammet legem cassatur, seu annullatur, dicitur ipso jure, ac (quod idem sonat) ipso facto irritus, adeo ut non sit necesse expectare aliam judicis irrationem.

241. *Vel per sententiam judicis.*— Porro per sententiam judicis lex irritat contractum, aliumve actum, quando ipsum non irritat per seipsam, sed solummodo decernit ipsum per sententiam judicis esse irritandum, sive annullandum. Et hac ratione lex irritat actum non ipso jure, sed expectata et secuta primum sententia judiciali: ut est contractus venditionis, in quo intervenit deceptio ultra dimidium justipretii, L. 2. C. *de Rescind. vendit.* Item contractus ex metu gravi, atque injuste incusso celebrati, juxta Glossam in c. *Super hoc.* §. *Resignationis, de Renuntiat.*

§ XI. DE LEGE IRRITANTE, EJUSQUE OBLIGATIONE, AC EFFECTU. 155

242. *Regulæ ad dignoscendum, an lex ipso jure irritet contractum, vel per sententiam judicis.*— Cæterum ad dignoscendum, an lex ipso jure irritet contractum, aliumve actum, vel primum per sententiam judicis irritandum decernat, eadem regulæ (servata tamen proportione) deserviunt, quæ supra, num. 207 et seqq. assignatæ fuerunt ad discernendum, an lex pœnalis contineat pœnam latæ, vel ferendæ sententiæ. Unde non immerito Farinacius, part. I. *Fragment.* v. *Lex*, n. 56 et seqq. simul, et pariformiter discernendum censet, atque loquitur de pœna ipso jure imposita, et de nullitate actus ipso jure inducta, dummodo attendan proprii termini, hinc inde loquentes.

243. *Irritatio actus alia explicita, alia implicita, quid?*— Resp. III. Ulterius irritatio actus alia est implicita, alia explicita. Ita communis. Et quidem « irritatio explicita » dicitur, quæ fit verbis claris, et expressis: ut si lex dicat: Si secus fiat, omni careat robore firmitatis, c. *Decet.* § *fin. de Immunit. Eccles.*, in 6. aut irritum sit et inane, Clem. 2. *De rebus Eccles. non alien.*, cum similibus. « Irritatio implicita est, » quæ fit per verba æquivalentia: ut fit, quando certa forma præscribitur actui, sive contractui, arg. c. *Actus legitim. de Reg. jur.* in 6. et ff. eod. et alibi. Nam, quia forma dat esse rei, consequenter ea deficiente corrumpitur actus, c. *Cum dilecta.* 22. *de Rescript.* et c. *Examinata. de Confirmat. utili.* cum similibus. Quod ipsum pariter dicendum est in casu, quo lex quempiam reddit inhabilem ad agendum, eum contrahendum; prout concilium Trident., sess. 24. cap. I, *de Reformat. matrimon.*, clandestine contrahere volentes inhabilitavit ad sic contrahendum. Neque tunc actus contra legis, sive statuti formam factus, partium consensu confirmari potest, arg. c. *Si diligenti,* et ibi Felinus, num. 7. *de Foro compet.*; Menochius, lib. I. *de Arbitrar. judic.*, quæst. 30, n. 6; Farinacius, d. v. *Lex*, num. 182, et alii.

244. *Si lex prohibet actum, sed non irritat, tunc is est validus, sed non licitus.*— Quæritur II. Quæ sit obligatio, atque effectus legum irritantium contractus, electiones, aut alias dispositiones? Resp. I. Quando lex prohibet quidem contractum, aut aliam dispositionem, sed ipsum non infirmat, neque a judice infirmandum decernit, valet quidem contractus, tamen ita contrahens peccat; et tunc ejusmodi contractus (idem de quacumque alia dispositione a jure prohibita sen-

tiendum) dicitur esse validus, sed non licitus. Ita communis doctorum; atque liquet ex c. *Ad apostolicam.* *De Regularib.* ibi: « Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem. » Sic matrimonium prohibetur celebrari tempore interdicti, vel ante trinam denuntiationem, aut cum voto simplici castitatis, et tamen, si ita contrahatur, validum est, etsi non licitum.

245. *Si lex contractum non ipso jure irritet, sed a judice irritandum decernat, valet is, donec per sententiam judicis rescindatur.*— Resp. II. Quando lex contractum non ipso jure irritat, sed a judice dumtaxat infirmandum decernit; certum insuper est eum valitum, donec per sententiam judicis rescindatur. Patet hoc ex c. *Cum jam dudum.* 81. *de Præbend.* ibi: « Multa per patientiam tolerantur, quæ si deducta fuerint in iudicium, exigente justitia non debent tolerari. » Idem exemplificari potest de contractibus, transactionibus, renuntiationibus, et consimilibus actibus, per metum gravem, atque injuste incussum celebratis, qui licet regulariter sint validi, tam pro foro externo, quam conscientiæ, juxta Glossam in c. *Super hoc.* v. *Resignationis. de Renunt.* ac tenet communior doctorum, nihilominus ita suadente æquitate per sententiam judicis rescindi, atque in irritum revocari possunt et debent, per ea, quæ notantur, cap. II. et seqq. « De his, quæ vi, metusve causa fiunt. » Verum contra dicta, licet communiter recepta, urget notabilis instantia: hinc.

246. *Notabilis objectio. Et seqq.*— Objicies. Juxta regulam 64 juris in 6. « Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi. » Idemque habetur can. *Imperiali.* 25, quæst. 2. Neque juvat dicere talia pro infectis esse habenda, non quidem ipso jure (nisi secus exprimat), sed dumtaxat per sententiam judicalem, quæ expectanda est, et subsequi debet. Nam contra est: quia imprimis hæc responsio non salvat dicta in prima conclusionem; dum ex ipsa sequeretur matrimonium contra interdictum Ecclesiæ, vel cum voto simplici castitatis contractum, per sententiam judicalem irritari, ac pro infecto haberi posse: quod aliunde patet esse falsum. Deinde eadem responsio directe reprobat ex l. *Non dubiu.* C. *de Legib.*, ibi. « Nullum pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum qui contrahunt lege contrahere prohibente. »